



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SSS. Fides, Spes, Charitas. VV. MM. 1. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

AUGUSTUS.

SSS. FIDES, SPES, CHARITAS. VV. MM.

1. Augusti.

Felix Roma, cui, quas nullus unquam pingere satis bellè pictor potuit, vivas spectare virtutes licuit, FIDEM inquam SPEM & CHARITATEM SOPHIÆ filias, Charitum Christianarum ipsissimam trigam. Ex his maxima XII. altera X. natu minima IX. omnes paucos annos, sed plurimas palmas numerant. Ecce enim Virtuti, ut solet, Tyrannus bellum movet. sed matre duce & junctis copiis omnes vincunt. Igitur duello singulas aggredi Urbi Præfectus statuit, & primò quidem FIDEM. Contra hanc flagris pugnat. at tergum proscuto objicit FIDES. Sartaginem admovet ardentem ille. hæc ridet arietem. Ubera refecat gladius. gaudet FIDES ostentare hæc cælo vulnera. Caput rescinditur, & coronatur scilicet. Ergo SPEM aggreditur tortor, & nervos in virginem armat. at his ipsis fortior puella est. Jubetur proin ignis sævire; sed ad virginem hic deficit & in hostes ipsius pugnat. pice ardenti & bitumine perfunditur; nempè ad novam luctam inungitur. In hac sororis mortuæ amplexibus inhærens ense vincit etiam ipsa, dum cadit ense. Jamque ad tertiam gradum facit Tyrannus bis victus, suspenditur CHARITAS ab equuleo, laniatur flagris. Sed ne audacter ivisse in hostem credas, noveris in rogam suapte sponte insiliisse terebrâ post perfossam & gladio cæsam. Porro mater magnanima SOPHIA, quæ & filias præsentia suâ & sese filiarum virtute hucusque animaverat,

maverat,

maverat, triduo post inter funera sua funus etiam ipsa deprehenditur. Sed tamen ne tu, ne luctu credas hoc factum Roma. Hanc enim ego, vel nullam aliam Matronam gaudio emori potuisse Livio credam. *Ex Surio.*

Funiculus Fidei, Spei & Charitatis, qui difficile rumpitur, compedita tenet humilium corda, nec patitur illa extolli, aut à virtutum tramite deviare, quin potius elevat ad summa & conjungit Deo, facitq; gustare gaudia sempiterna. S. Laur. Just. de humil.

S. THEODOTE CUM FILIIS MM.

2. Augusti.

Numerabat THEODOTE in viduo thoro filios, quos è conjugè demortuo genuerat, duos, quos vero Christi amore adoptaverat, vinctos ac captivos longè plurimos. Talem Diocletianus Leucadio, qui mirè ejus nuptias ambiebat, tradit, qui dum nullis eam blanditiis capi videt, & domum ducere jam desperat, vinculis certè captam ad Bithyniæ tribunal adducit. Hic matris pectus per filiorum latus oppugnaturus EVODIVM primò, tum minimum natu filium cuniculis verborum subruere annititur. His ubi nihil proficere se videt, in apertam vim, verbera atrocissima prorumpit. Sed plena animis verba, quibus mater ad constantiam suos firmabat, plus poterant apud filios, quàm verbera tyranni. Intereà Hyrtacus homo non jam sceleratus sed scelus, pudicitia matronali manum afferre attentat. Sed qui pro hâc tuendâ excubabat Angelus, irruentem ita pugno exceptit, ut quantumvis impudentis vultum largo sanguine erubescere tamen faceret. Post hæc Præses matri geminam mortem minatur, dum hanc sub oculis

ejus